



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Scintillæ Ignatianæ, Sive Sancti Ignatii De Loyola, Societatis Jesu Fundatoris Apophthegmata Sacra**

**Hevenesi, Gábor**

**Coloniæ, 1715**

**VD18 10988289**

30. Januarij. Certis in causis silere, quàm loqui præstat: nec vindice opus est stylo, ubi sui ipsius vindex est veritas. S. Ignat. in hist Soc. I. 15. n. 44.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50423](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50423)



planè periculi plenum est animæ, non timere.

Non sunt tantæ amicæ fortis vires, ut copulet tranquillitatem cum perpetuitate, eò brevior esse solet, quò grandior. Quies hæc lassitudini potiùs, quàm fidei tribuenda; fugiet, a volabit. Vide, quantum ei fidere possis.

Quidquid amitti potest, in censum bonorum referri non meretur. Si quis mutabili fundamento spes suas inædificet, non diu stabunt. Vir fortunæ omnis contemptor, se contentus solo, ad felicitatem Dei accedit proximè, quia uterque sufficit sibi, uterque sine alienis felix.

Quidquid felicitatis habes, intra te est, imò ipse es; nulli tibi thesauri sunt, esto arcæ turgeant auro, omnia bona tecum circumfers, tam felix, tam dives, quàm bonus.

### 30. Januarii.

*Certis in causis silere, quàm loqui prestat: nec vindice opus est stylo, ubi sui ipsius vindex est veritas. S. Ignat. in hist Soc.*

l. 15. n. 44.

**N**Ullum certius vindictæ genus est, quàm tacere ad calumniam, nec di-



gnum agnoscere maledicum, ex quo vincta  
dicta sumatur. Verbum fuit, non fulmen,  
non est, quod commovearis.

Si hostis arma hebetes, pariter vincis,  
ac si eadem fregisses. Utere prudente si-  
lento, clypeus erit, rejiciet ictum, ne vul-  
neret. Tutius est clypeo, quàm gladio vin-  
cere.

Dolebit, quia contemni se credit con-  
vitiis, si ad calumnias nihil reposueris.  
Tace, ictum, quasi non senseris, dissimula.  
Sic æmulus expectatione delusus, gravius  
sentiet, & dolorem, quem alteri intenta vit-  
ipse feret, bis miser, in se afflicto, ac in al-  
tero non afflicto.

Tum magnum probabis animum, si his  
verbis major fuerit, nec ad quoslibet invia-  
di motus commoveatur. Ranarum coaxa-  
tio lunæ splendori nihil detrahit, nec tibi  
oberunt calumniæ, si eas non tam verbis,  
quàm factis diluas.

### 31. Januarij.

*Si quid rogeris, quod noxium credis, illud  
cura: ut & quod postuletur neges, &  
eum, qui postulat, amicum serves. S. Ige-  
nat. apud Nolarci.*

Con-